



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

XXXV. De vita & officio religiosorum & ipsorum prælatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

pisces. Malos autem dixerim non propter culpam, sed propter pœnam. Faciat, DEUS, ne à multitudine malorum piscium obruamur pusillanimitate spiritus & tempestate, donec perveniamus ad optati littoris stationem, ubi malos separemus & secludamus à bonis, ut videlicet de cætero nec luctus nec clamor, sed nec ullus dolor aut etiam timor sit in finibus nostris, sed gratiarum actio, & vox exultationis.

## S E R M O XXXV.

*De vita & officio Religiosorum & ipsorum Prælatorum\*.*

\* *Alias De tribus ordinibus Ecclesiæ, ad Patres in Capitulo habitus.*

\* *Ezech 14 d Tres ordines seu status Ecclesiæ Prælatorum, Continentium, Conjugatorum.*

*Status hominum in seculo periculosus.*

*Nec tamen continentium status omnino securus.*

**H**oc mare magnum & spatiosum (in quo utique certum est, nihil aliud quàm præsens sæculum amarum fluctuans designari) tribus hominum generibus suo cuique modo pervium est, ut transeant liberati. Tres enim sunt Noe, Daniel, & Job\*: quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret diluvio, ubi protinus rectorum Ecclesiæ formam agnosco. Daniel vir desideriorum, abstinentiæ & castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans, pœnitentium & continentium ordo. Job quoque substantiam huius mundi benè dispensans in conjugio, fidelem designat populum terrena licitè possidentem. De primo igitur & secundo nobis habendus est sermo; quoniam assunt venerabiles Fratres & Coabbates nostri de numero prælatorum, assunt & Monachi de pœnitentium ordine: à quo tamen nec nos Abbates alienos reputare debemus, nisi fortè (quod absit) officii nostri gratiâ nostræ fuerimus professionis immemores. Tertium igitur, conjugatorum videlicet ordinem magis succinctè transcurro, tanquam minus ad nos pertinentem. Ipse est, qui maximè mare magnum vado pertransit, laboriosum prorsus & periculosum etiam & longum habens iter: quippe quod nulla viæ compendia capter. Nam quòd periculosum sit iter, in eo patet, quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus, sicut necesse est, pertransire. Valde enim difficile est, præsertim diebus istis quibus malitia nimis invaluit, inter undas huius mundi, voraginem vitiorum, & criminalium peccatorum foveas declinare.

At continentium quidem ordo & ponte pertransit; quod iter brevius & facilius & securius esse nemo est qui nesciat. Sed omitto laudes, pericula magis ostendo: hoc enim multo melius atque utilius est. Recta quidem semita vestra, charissimi, & securior conjugatorum viâ, non tamen omninò securâ. Timendum enim periculum triplex, id est ne forte aut æquare se alteri, aut respicere retro, aut certe in medio ponte stare, aut residere quis velit. Neque enim ullum ex his tribus pontis patitur angustia, & arcta viâ quæ ducit ad vitam. Contra ergo primum periculum

oremus

oremus singuli cum Propheta <sup>a</sup>: *Ne veniat pes superbiae: quoniam ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* Nam de eo qui mittens manum suam ad aratrum, postea retro convertitur, certum est quoniam labitur statim, & pelagus operit caput eius. Sed & qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans, cadat necesse est, ab his qui sequuntur impulsus & eversus. Arcta enim est via, & impedimento est proficere & proficisci volentibus. Hinc est quod jugiter arguunt & reprehendunt, quod ferre nequeunt tepiditatis eius segnitiam, quod velut quibusdam stimulis urgent & impingunt manibus: ut unum necesse sit e duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere. Minimè igitur oportet sistere gressum: retrospicere quoque, æquare non aliis, multò expedit minus: sed tota humilitate currendum nobis & properandum, nequando forte is qui egressus est ut gigas ad currendam viam, longè à nobis fiat: quem si benè sapimus, providentes in conspectu nostro semper, & in eius odore tracti facilius citiusque curremus.

Nec verò angusta nimis invenietur pontis semita currere in ea volentibus, tribus enim compactus est lignis: ut qui perfectè eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ. Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum <sup>b</sup>: & qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli <sup>c</sup>: & quem à Deo suo exturbavit inobediencia, sine dubio per obedientiam recto tramite ad eum redit. Hæc itaque sibi invicem compacta esse necesse est. Nam nec pœna corporis inter divitias stabilis, nec obedientia sine pœna facile potest esse discreta, & paupertas in voluptate & voluntate propria nullius potest esse momenti, & obedientia in divitiis & voluptate nec stabilis nec gloriosa.

At verò his ritè compositis vide, si non tria maris huius pericula evasisti, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Ritè, inquam, compositis, ut in pœna quidem nondum impatientiæ, in paupertate verò cupiditatis scrupulum, in obedientia nævum caveas propriæ voluntatis. Nam & qui murmuraverunt, à serpentibus perierunt <sup>d</sup>: & qui volunt divites fieri, non ait qui sunt, sed qui volunt fieri, incidunt in laqueum diaboli <sup>e</sup>. Sed & illud quid refert, si fortè (quod absit) non quidem divitias, sed ea ipsa quæ paupertatis sunt, toto affectu desideres, aut etiam ardentius quam divitias cupiunt homines sæculares? Quid distat quæcumque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus, nisi quod tolerabilius illud videri potest, quæ plurius esse videntur, plurimum desiderare? Porro quisquis vel apertè vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi

<sup>a</sup> Psal. 35. d  
Triplex in eo  
periculum.

Tria presidia  
status cõmomen-  
tium.

<sup>b</sup> Act. 14. d  
<sup>c</sup> 1. Tim. 6. b  
Afflictio cor-  
poris, pauper-  
tas, obedien-  
tia.

Per que tria  
maris, id est,  
sæculi huius  
pericula eva-  
dere licet.  
<sup>d</sup> 1. Cor. 10. b  
<sup>e</sup> 1. Tim. 5. b

Paupertatis  
& obedientiæ  
profectio quo-  
modo vitia-  
tur.

quali de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse praelato, sed magis ei praelatus obedit.

f Marc. 4.

*Cumulatio  
seu superero-  
gatio Patientia;  
Paupertas; & O-  
bedientia.*

Veruntamen quia juxta sententiam Salvatoris<sup>f</sup>, in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis: bonum est homini hoc ad cumulum dare, ut eorum sit numero, quibus mensuram bonam & confertam & cogitatam & supereffluentem dabunt in sinus suos. Sufficit enim ad salutem, corporis molestias patienter ferre: sed cumulus est, etiam libenter in fervore spiritus eas amplecti. Sufficere potest superflua non requirere, sed nec propter ipsa si forte desint necessaria murmurare: sed cumulus est etiam exultare & libenter quærere quomodo alius magis habeat necessaria, & ipse penuriam patiat. Sufficit quoque ad salutem, si nec impatientia, nec simulatione ad id quod desideras invitum velis praelati animum inclinare: sed cumulus est etiam fugere ea, quibus voluntatem propriam senseris oblectari, quantum sane bona cum conscientia potes.

*Praelatorum  
conditio &  
officium.*

Porro praelati quidem ipsi sunt qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Neque enim certa pontis aliqua seu vadi semita coramitantur, ut liberè possint usquequaque discurrere, & occurrere singulis ut oportet, ac dirigere pontis semitam seu vadi, ordinare gradientes, pericula investigare ac declinare, excitare tepidos, pusillanimes sustentare. Denique ascendunt usque ad coelos, & descendunt usque ad inferos, nunc quidem spiritualia tractantes atque sublimia, nunc infernalibus & horribilibus facta dijudicantes. Sed quæ poterit navis inveniri, quæ tam immanes sustineat fluctus, & in tanto secura possit esse discrimine? Utique fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: quia juxta quod alibi habes<sup>g</sup>, *Aqua multa non poterunt extinguere charitatem.* Necessaria est & omninò necessaria navis ista praelatis, tubus compacta lateribus, quæ est utique forma navium; ut sit nimum juxta<sup>h</sup> doctrinam, *charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Puritatem quidem cordis in eo praelatus habeat, ut prodesse desideret, non præesse: ut scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quippiam suum in praelatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentione pura, irreprehensibilis quoque necessaria est conversatio, ut forma factus gregis incipiat facere & docere: & secundum Magistri nostri regulam<sup>\*</sup>, quæcunque docuerit discipulis esse contraria, hæc in suis actibus indicet non agenda; ne forte submurmurare possit frater quem arguit, & dicere<sup>k</sup>: *Medice cura te ipsum.* Tals enim occasio plurima damnatio praelati, plurima scilicet debitorum perditio est. Non quòd ego bene id caveam, ideo sic loquor: sed & mihi & omnibus pariter veritas clamat<sup>k</sup>, quoniam oportet irreprehensibilem esse eum qui præest, ita ut secura conscientia cum Domino respondeat exprobrantibus sibi verbum:

*Charitas præcipue Praelatis necessaria.*  
g Cant. 8. e  
h I. Tim. 1. b  
Item Puritas intentionis.

*Et Sanctitas conversationis.*  
a S. Bened.  
in Reg. c. 2.

i Luc. 4. d  
Praelatus alios corripiens ipse culpa vacet.  
k I. Tim. 3. a

bum:

bum <sup>1</sup> Quis ex vobis arguet me de peccato? Non quod sine peccato penitus esse possit in hac misera vita, sed quod ea quæ arguit in discipulis, oportet summo opere vitare magistrum. Ob hoc, qualis est in conversatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione: ne videlicet foris humilis, intus elatus sit, in corde suo præ umens de sapientia seu virtute aut sanctitate sua: quæ est sine dubio fides ficta, quando non sicut ostendit humilitas conversationis, in sola Dei pietate confidit. Et vide quam propriè his tribus, cordis scilicet puritati, conscientia bonæ, & fidei non fictæ, convenire videantur alia quoque ipsius Apostoli verba dicentis <sup>m</sup>: *Mihi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, &c. Non me iudico, inquit, quia nihil mihi conscius sum, quod meum aliquid quæram, sed quæ JESU CHRISTI.* Sed & pro minimo mihi est ut à vobis judicer, propter conscientiam bonam, & irreprehensibilem conversationem. *Qui autem iudicat me, inquit, Dominus est, ut in eo solo spem suam positam esse doceret, humiliatus sub potenti manu Dei.* Sed & illud tu iudica, utrum possit his convenienter aptari trina Petri interrogatio <sup>n</sup>, ut hoc sit dicere: *Amas me, amas me, amas me? Habes charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Merito siquidem interrogatur an charitatem habeat piscator hominum constituendus.

1 Ioan. 2. 7

1. Cor. 4. 5

1 Ioan. 2. 6

S E R M O XXXVI

*De Perfectione humilitatis, quam docet in eo consistere, ut aliorum altiora seu meliora; nostra verò inferiora, seu infirmiora consideremus. \**

**D**E eo quod nuperrimè dictum est, sursum alios, alios deorsum aspice, habeo adhuc aliquid, quod vestra non sileam charitati. Nam eorum quidem cogitationum quas expressimus tunc, si bene meministis, licet perfectior altera, utraque tamen utilis est. Sunt autem qui alio modo aut sursum cor habeant, sicut fecit Deus hominem rectum, & securè respondeant ad exhortantis vocem Presbyteri: *Habemus ad Dominum.* Sunt & alii, qui similes brutis animalibus inclinati deorsum, derisui tete ficiant esse immundis spiritibus, qui profecto clamitant illudentes: *Incurvare ut transeamus.* Scitis enim quod in congregatione plurimorum impossibile est unius omnes fortitudinis esse seculo porum, seu morum: nam utramque infirmitatem patienter ferre regulæ nostræ <sup>†</sup> monet auctoritas, & utriusque alicuius tenus condescendere jubet charitas. Videt hoc alter quispiam, & fortassis incipit invidere cui condolere debuerat. Hinc accidit ut sapè beatificet eum in corde suo, eade re unde miserum se ille reputat, molestè ferens necessitatem suam. Omnino agitur incurvatum se esse, & basso corde carnem sapere probat, apud quem ne ipsa quidem misera caret invidia. Sed eis quas certa charitatis consideratione alienæ necessitati

\* Alias de Altitudine & bassitudine cordis.

Alti sursum alii deorsum cor habent.

† Reg. c. 36. In cætu plurimum non idè robur omnium seu corporis, seu animæ.

dispensat